DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER MUNKITTRICK,

Hibernus,

COL. REG. CHIR. LOND. SOC.

Πολλας δ᾽ιφθιμȣς ψυχας αιδι πϱοιαψεν Ἡϱωων.

HOM. Il. Lib. 1.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Excudebat Jacobus Neill.

M,DCCC,XIX.

VIRO ERUDITISSIMO,

C. B. LEE, M. D.

APUD ARDEE, IN COMITATU LOUTH;

ARTEM SALUTIFERAM,

FELICITER,

AC MAXIMA LAUDE,

EXERCENTI:

HAS PAGINAS,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DEDICAT,

AUCTOR.

NECNON

OPTIMO SUO AMICO,

RICARDO CLIFFORD,

EBLANÆ,

ARMIGERO;

VIRO,

OMNIBUS VIRTUTIBUS,

ORNATO:

HOC OPUSCULUM,

OB

BENEFICIA PERMULTA,

IN EUM COLLATA,

TESTIMONIUM,

ANIMI GRATI AC SINCERI,

PEREXIGUUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

PRÆFANDA.

NULLUS morbus, quam Dysenteria, in calidis regionibus frequentius sævit, nec plus vitæ discriminis adfert. Neque sola urget, sed febres intermittentes ac remittentes pariter comitatur, haud raro lethalis. Qui regiones paludosas incolunt, eos invadere diu observata est; eosdemque sub æstatis fine, aut initio autumni præcipue corripere. Milites nostri, qui sub sole ardenti longa itinera faciunt, et sub pleno Jove, roribusque nocturnis dormiunt: Nautæ quoque, qui vel vestimenta madida gerere vel induere necessitate coacti sint; aliique in urbibus obsessis

vitam degentes, victuque parum bono utentes; omnes quidem hi, hunc in morbum facillime incidunt. Ex his rebus, igitur, Dysenteria attentione dignissima est, omniumque medicinam facientium notitiam jure sibi vindicat. Medici antiqui vix aliquid accuratum de morbi natura protulerunt; sed plus minusve errare mihi videntur. Inter hos primus Celsus mali sedem luculenter docuit, qui de intestinorum malis disserens, ita locutus est de Dysenteria: "Intus intestina "exulcerantur; ex his cruor manat; isque modo cum stercore aliquo semper liquido, modo "cum quibusdam quasi mucosis excernitur; interdum simul quædam carnosa descendunt; "frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano "est; cum eodem dolore aliquid exiguum emittitur; atque eo quoque tormentum intenditur; "idque post tempus aliquod levatur; exiguaque "requies est; somnus interpellatur; febricula "oritur; longoque tempore id malum cum inveteravit, aut tollit hominem, aut etiamsi finitur excruciat*." His verbis nihil melius dici

* Celsus, Lib. iv. p. 147.

potest, ut rem intelligamus. Huncce morbum hodierni varie definiunt scriptores, quos inter nullus celleberrimo CULLENO præstat, qui, Nosologorum omnium princeps, his verbis concinne utitur: "Pyrexia contagiosa, dejectiones frequen-"tes, mucosæ, vel sanguinolentæ; retentis ple-"rumque fæcibus alvinis; tormina, tenesmus."

DE MORBI SIGNIS.

INCIPIT hic morbus variis in modis; interdum nihil nisi lassitudo cum debilitate sentitur, et dolores, vagi sed leves, corpus totum pervadunt; et animi et corporis vires magis magisque collabuntur. Ægrotus tunc capite dolet, cibumque fastidit, et malo oris sapore vomitus haud infrequenter excitatur, et, materiis sæpe biliosis vi rejectis, abdominis dolores fere semper intenduntur. Porro, urgent inflatio ac ructus, nec raro gastrodynia et cardialgia vexant, et haud longum post intestina omnia se male habent. Nonnunquam vero corpus plus solito frigescit, horrores et rigores superveniunt, quos excipiunt calor auctus, pulsus

frequentes, dorsi dolores ac lumborum, et sitis, quam sedare admodum difficile est.

Pyrexia ab initio aliquando adeo gravibus signis adoritur, ut interdum mens haud parum aliena sit, et functiones omnes maxime perturbentur. Facies enim turgida, oculique diffusi sunt; caput valde dolet, urgetque aurium tinnitus, et arteriæ, præsertim caroticæ, vehementer pulsant. Necnon cutis præter solitum calescit; æger difficulter spirat, omniaque in pejus ruunt.

Frequentissime autem typhi, intermittentis aut remittentis, speciem induit, cum signis in putridinem abeuntibus. His perstantibus, alvus tarda est, et intestina doloribus contorquentur, et tenesmus valde urget. Quicquid dejiciatur fœtidum est, exiguumque in copia ultra modum durescit; nec raro sanguine commiscetur; nec naturaliter unquam apparet, fæcibus alvinis retentis.

In quibusdam autem exemplis, nulla percipitur febris, subito soluta fit alvus, et post liquidas dejectiones, adsunt intestinorum contortiones, cum multis abdominis doloribus, et maxima dejiciendi cupiditate. Hæc quidem sæviter urget, ubi parum aut nil excernitur. Aliquando lenis ab

initio est febris, quæ morbo progrediente cito evanescit, et tantum signa relinquit Dysenteriæ propria, quæ, remediis idoneis adhibitis, plerumque facile cedunt. Attamen haud tam facile abit morbus, qui, doloribus acutis, agitare nunquam cessat, inanibusque alvum evacuandi nisibus vires corporis exhaurit; et somnum depellendo, vitam reddit miserandam. Ægri enim frequentissime in die, plerumque decies aut vicies, et interdum multo frequentius, dejiciendi desiderio sunt capti.

Parcæ fere semper sunt dejectiones, ac tenues; nonnunquam vero globulis induratis similes, nonnihil quoque sanguinis admistum habent, quibus nisi expulsis, vix morbus quidem solvi queat. Sed materia in morbi cursu dejecta interdum plus variat. Constat enim ex muco solo, et haud raro ex sanguine puro; sed semper male olet. Nonnunquam quoque puris vel saniei speciem induit, vel caruncularum, quæ tunicam intestinorum villosam maxime referunt. Interdum cum his dejectionibus Moseleio testante *, vermes com-

* Mosely on Tropical Diseases.

miscentur, fere semper lumbrici, aliquando ascarides, dejiciuntur. Quos hic morbus gravissime torquet, iis ani prolapsus, haud raro accidit; idque præcipue iis qui tenera gaudent ætate. Sin autem æger hæmorrhoide prius correptus sit, dysenteria doloribus ejusdem plus multo addit. Præterea in hoc morbi gradu, cibus in ventriculum receptus, vel statim rejicitur, vel plerumque per anum redditur parum mutatus. Nec raro urget dysuria vel ischuria; nec mirum est, ubi abdomen admodum perturbatur.

Arteriarum pulsus cum febre consentire reperiuntur; aliquando pleni vel duri, plerumque debiles et tardi, sub finem morbi evadunt. Omnia quidem febris signa vespere ingravescunt, sed mane leniora plerumque observantur.

Signa jam enumerata, memoria dignum est, fere nunquam eodem tempore, eundem hominem adoriuntur, et pauciora vel plura simul accidere solent.

Varium est tempus, per quod hic morbus durare potest, sed ex ægri viribus, medici scientia, et aliis rebus multum pendet. Succumbit æger modo die quarto, modo decimo quarto; nec raro

vitam in tempus multo longius, cura propria producit. Ubi mitis est morbus, remediis propriis cito et facile cedit. Si morbus vero gravissimus est, et faciem lethalem induit, omnia hæc indicia ingravescunt; tormina fere perpetua sunt, et vix tolerabilia, tenesmus adeo frequens ægrum excruciat, ut sine ullo levamine corpus exhauriat, et syncopen sæpe inferat. Tunc superveniunt debilitas summa, et in faucibus aphthæ; lingua arida ac sicca, et sæpe nigra; cor imbecilliter micat; anima fœtida est; in facie maculæ seu pustulæ post aures erumpunt; nec raro urina ac fæces sine voluntate redduntur. His accedunt devorandi difficultas, extrema frigida, sudores egeledi, facies pallida, singultus, doloris remissio, abdomen tumefactum, atque delirium ac convulsiones sæpius morbo imponunt finem.

Porro ab omnibus observatum est, tormina, quæ primo totum fere abdomen invadere visa sunt, post paucos dies, magis fixa fieri, et hypogastrium solum, vel imam coli partem valde excruciare.

Denique ubi Dysenteria, verno tempore maxime sævit, febris quæ incipit, fere semper ad pu-

tredinem tendit, sibimetque formam intermittentis sive remittentis, semper induit; atque ad febris impetum signa mali propria ingravescunt. Sed interdum hic morbus, febre decedente, aliisque indiciis mitioribus factis, sua sponte quoque decedit; aliis autem signis mitibus diu perstat; et in Diarrhœam haud infrequenter desinit.

QUÆ CADAVERIBUS INCISIS CONSPICIUNTUR.

Nihil, quam cadaveris sectio, ad medicam scientiam melius confert; neque veram mali sedem accuratius ostendit. Quo plus anatomiam morbidam colemus, eo majorem in re medica progressum facimus. Morbida enim signa post mortem discendo, atque eadem cum morbi historia accurate conferendo medicina, me judice, est excolenda.

Abdomine patefacto, sequentia apparent; intestina omnia, crassa, præ tenuibus, et colon ac rectum præ aliis, plus minusve inflammantur; ima coli pars, ejusdem flexuræ magis læduntur;

nonnunquam vero densatæ sunt; atque eorundum viæ arctiores fiunt; internæ tunicæ interdum abraduntur, aut ulceribus atque gangrena alte obducuntur: necnon abscessus parvuli peritoneum, colon, sive rectum, corrumpunt. Interdum intestina tenuiora nihil detrimenti accepisse, haud infrequenter autem, eorundem pars inferior inflammationem subiisse, plane apparuit. Omentum intestinis adhærere conspicitur, modo tabidum, modo gangræna infectum. Peritoneum crassius solito invenitur, et omento aut intestinis adhærens. Tumescere glandulæ mesentericæ aliquando videntur; neque ventriculus ipse semper reperitur vitii immunis; neque splen, aut pancreas, aut hepar, sed frequentissime inflammantur. Urinæ vesica quoque turgida et plena est, renesque præter naturam rubri ac tumidi. Denique abdomen totum flatibus distenditur, qui semper odorem fœtidum mittunt.

Thorace inciso, vix aliquam morbi notam invenimus, nisi fortasse pulmones induant inflammationis speciem, et cor quibusdam in casibus

amplificari videatur, vel saltem amplius justo sit.

DIAGNOSIS.

Magni momenti est morbos rite dignoscere, quia ex hoc multum pendet praxis medica. Dysenteriæ historia rite perpensa, pauci sunt morbi, cum quibus illa aliquid habeat similitudinis, aut minimo in gradu confundi possit. Sunt tres morbi, quibus communia sunt signa; Diarrhœa nempe, Colica, atque Cholera; de his autem vix aliquid periculi est errare. De his singulis in ordine.

I. *Diarrhœam*, multis persuasum est, mitem esse dysenteriæ speciem; sed morbis collatis, utrique diversa sunt multa. Huic febris fere semper adest, quæ illam nunquam comitatur. Tenesmus ac tormina, quæ ægrum semper angunt, in morbo quem prosequimur, diarrhœæ leviora sunt vel omnino desunt. In hac liquidæ et copiosæ dejiciuntur fæces, quæ nun-

quam scybala referunt, neque sanguine commiscentur. Sed magis naturalem indicant speciem, atque putredine carent. Denique dysenteriam aliquando a contagione originem trahere creditur, et morbo semel inducto, et classes et exercitus vi ejusdem inficere; quæ omnia quidem limites certos ponunt, quibus alius ab alio morbo dignosci satis queat.

II. *Colica* cum morbo, de quo agitur, nihil habet commune, cujus imperitus in re medica vix esse potest ignarus. In illa enim circa umbilicum torquet dolor, qui pressu imminuitur, vomitus interdum urget, sæpe stercoris instar, atque febris nulla est, quæ res satis distinguunt, atque huic contrariæ sunt.

III. *Cholera* cum vomitu bilioso incipit quem haud longo post tempore comitantur dejectiones copiosæ ac frequentes, quæ eandem naturam manifestant; necnon lenis est tenesmus, sed acriter torquent colici dolores, qui jamjam surarum spasmata inducunt, quæ sola ab aliis morbis satis seponunt.

PROGNOSIS.

Eventum morbi temere prædicere, medicum nequaquam oportet; sed indicia quæque probe perpendere; et post hoc factum, errorum fortasse cavere, haud semper est facile. Corpori enim inest vis insita, quæ sæpe id tueri et pessima mala nounnunquam depellere potest.

Huic morbo periculum inesse omnes consentiunt; sed ubi robustos et juvenes adoritur, quorum vires corporis prioribus morbis haud fractæ fuerunt, spem quidem bonam habemus; præsertim si post ejus impetum cito mitescunt signa: et haud graviter urgent tormina ac tenesmus, levioraque fiunt; neque ægrum frequenter impellunt desidere. Porro ubi dejectiones neque male olent, sed magis naturaliter apparent, vix sanguine mistæ; atque æger cibum appetit ac sumit, minusque sitit; neque, saltem minus, nausea afficitur, gratoque gaudet somno, qui vires ægri multum reficit, faustum est præsagium.

Attamen ubi morbus insævire perstiterit, cum febre vehemente, dolore hepatis urgente, vomitu, syncope, nécnon crudelibus alvi doloribus, ac tenesmo excruciante; et medicus propria remedia ab initio tempestive adhibere neglexerit; præterea ubi omnia in pejus ruunt, cum delirio, quod magis magisque ingravescit, causam timendi habemus, ne mors instet.

Denique alia adsunt indicia, quæ semper habent omen pessimum, atque exitum lethalem nunquam non inducunt. Hæc sunt, ubi sphinctores solvuntur, fæces ægro inscio elabuntur, facies pallida, cum extremis frigidis, pulsus debilis ac tremulus, in labiis escharæ, ac in faucibus aphthæ; spiritus male olens, ac convulsiones cum animi deliquio, mortem pro certo denunciant appropinquare. Haud memoria indignum est, de hac re verbis Burserii uti, qui inquit: "Plerumque "mortis est signum cum tenesmus tantus est, "ut perpetuo hiet anus, unde clysteres statim "elabuntur, aut ita constringatur ut nihil possit "immitti."

DE CAUSIS REMOTIS.

Hæ causæ quidem in duplex genus aptissime dividuntur; cujus unum fere semper corpori inhæret, alterum vero extrorsum originem magis ducit. Primum genus, prædisponentes, alterum excitantes causæ nominantur. De illis primum oportet dicere.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Has autem ab causis excitantibus sejungere difficile est. Aliæ enim in alias facillime transeunt, ut majore cura ac tempore opus sit, quam mihi licet. Inter omnes convenit, quæcunque sive animum sive corpus infirment, haud parvo in gradu agere in homines huic morbo proclives reddendo, eosque præsertim prius eodem morbo correptos. Debilitas ideo corporis, animique affectus deprimentes, jure recensentur. His enim concoctio mala fit, ventriculus imbecillus, alvus

tarda, quibus acor et inflatio facile gignuntur, et morbo originem præbent. Ubi enim organa ad salutem tam necessaria, suis muneribus evadunt imparia, corpus facile reddunt morbo obnoxium.

Potus spirituosi, præsertim si nimia in copia sumpti, gradatim ventriculum infirmant, stimulo ipso ad dysenteriam, ratione haud obscura, viam sternunt. Sumpti autem parco in modo, non tam nocent, sed suis viribus corpus muniunt, et ad contagionem minus reddunt opportunum, qua morbus de quo agimus, interdum, ut dictum est, ingruit.

Quicunque autem horum liquorum usui nimis indulgeant, ad morbum procliviores fiunt, experientia medicorum satis quotidie superque docet.

Ex annalibus medicinæ satis patet, dysenteriam sæpius in castra ingredi, ibique milites frequentius conficere in autumno, quam alia in parte anni. Namque hac anni tempestate sub meridie sol magis ardet, maneque et vespere diutius est frigus. Ita corpus ab æstate plus justo calefactum, et autumni frigori vespertino ac ma-

tutino expositum, in morbum facile incidet. Hoc ex corpore laxato ac debili facto, maxime pendet. Calor enim, præcipue in calidis regionibus, et corpus solvit, omnesque secretiones maxime auget, quas subitum frigus retropellit atque fundamentum jacet morbi. Præterea homines, qui sub his regionibus dictis vitam degunt, languescunt, et corporis et animi exercitationem abhorrent, fere semper siti inexplebili inficiuntur, quam sedare, haud infrequenter magnos aquæ vix bonæ haustus bibunt, qua haud parum perturbatur ventriculus. Inde vires corporis collabuntur, alvus plus justo solvitur, aut astringitur, et debilitas cum cohorte comitum malorum gradum corripit. Huc multa alia spectant, quæ corpus debile reddunt, labor, vigilia, Venus immodica, diæta parca, et defectus aëris liberioris, in oppidis obsessis, et putrida cadavera insepulta.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Frigus subitum rite recensetur inter causas, quæ dysenteriam excitant. In terris enim, quæ

ad solem spectant, nocturni rores subito dies fervidos excipiunt. Hæ aëris mutationes, quamvis thermometrum vix aut parum moveant, tamen hominis cutem constringunt, perspirationem repellunt, multaque mala inducunt. Quomodo noceant, ratio haud obscura, cuique satis patet, qui oculos vertit in paginas historiæ quæ res gestas nostratum memoriæ tradidit. Satis constat ex dysenteriæ historia quam in medium MOSLEY protulit, in his verbis: "In 1743, on 27th June, "the night after the battle of Dettingen, a heavy "shower of rain fell, preceded by very hot and "dry weather, which the English troops, lying "all night on the field of battle, without tents, "were exposed to, and on the night following en-"camped on wet ground. In less than eight "days, five hundred men were ill with dysentery, "and within six weeks, half that army was, or "had been, afflicted with it." Necnon prope eundem locum, idem auctor sequentia verba habet: "In 1741, in the month of April, the army with "VERNON and WENTWORTH, was reduced in "two days time, from 6645 men to 3200, as they "lay encamped after the battle of Saint Lazare

"at Carthagena *." Ad eundem finem PRINGLEI verba pertinent: "In the end of summer, or in "autumn, when any number of men are expos- "ed to night damps, or fogs, or lie upon wet or "marshy ground, especially after a hot day, part "of them will be seized with a fever of the re- "mitting or intermitting kind, and a part of "them with dysentery." His observationibus bene robatur, morbum frigore excitari.

Aliquibus disputatum est, an dysenteria e contagione oriatur nec nè? Inter hos BANCROFT negat ex hoc fonte unquam oriri. Sed nemo dubitari vix potest, ubi dysenterici in valetudinarium admissi, aliis ibi incumbentibus morbum inferunt, quin contagio quodammodo illum excitare queat, quamvis modus, quo corpus ingrediatur, adhuc minus certus est. Hanc opinionem confirmant PRINGLEI verba. "In camp, the con- "tagion passes from one who is ill, to his com- "panions in the same tent; and from thence, "perhaps, to the next. The foul straw becomes "very infectious. But the great source of in- "fection are the privies, after they have received

* MOSELY on Tropical Diseases.

" ed the dysenteric excrements from those who " first fall ill. The hospitals likewise spread it; " for those that are admitted with the flux, not " only give it to the rest of the patients, but to " the nurses, and other attendants of the sick."

DE CAUSA PROXIMA.

De causa proxima, medici scriptores, et haud parvi nominis, varie inter se opinantur; quidam acri materiæ in intestinis eam attribuunt, aliique eorundum inflammationi. " Causam vero proxi- " mam quod attinet, ipsa ejus notio generalis, si " non prorsus falsa, saltem confusa admodum est, " et obscura et temere a rebus abstracta. Quæ- " runt enim medici, et, non facile invenientes, " sibimet fingunt aliquid causæ omnis morbi, " unde iste morbus oriatur eodem fere modo ac " variæ mutationes vel effectus, quæ in rebus in- " animatis observantur, a suis causis proveniunt*." Hanc rem Cullenus mihi videtur optime explicare: " The proximate cause of dysentery, or at

---

* Vid. Greg. Consp. Med. Theor. p. 16.

"least the chief part of the proximate cause, "consists in a prænatural constriction of the "colon, occasioning, at the same time, those "spasmodic efforts which are felt in severe grip-"ings; and which efforts, propagated down-"wards to the rectum, occasion there the frequent "mucous stools and tenesmus *." His verbis me delectat addere opinionem GREGORII: "Creditur "oriri a constricta aliqua parte intestinorum, præ-"sertim colo, quo fit ut hæc, quamvis multum "irritata, nihil fere demittere possint †.

DE RATIONE MEDENDI.

In causam morbi proximam perpendo cum cunctis ejusdem signis, ratio medendi simplex apparet, atque tria concilia complectitur; nempe

I. Dolores urgentes ac tenesmum solvere.

II. Pyrexiam tollere aut minuere.

III. Vires ægri per totum morbi cursum sustinere.

---

* CULL. first lines.

† Vid. GREG. Consp.

Ad primum consilium conficiendum, præ aliis rebus, abdomen ægri medicum oportet circumdare lata fascia, quæ doloribus imprimis prodest. Hæc per morbi cursum nunquam est negligenda, dolores enim ex spasmo admodum minuit. Deinde purgantia necnon enemata summi momenti sunt. Deplere enim alvum quamprimum, atque fæces induratas, scybala dictas, expellere, medicum imprimis oportet; quippe, nisi quæ demoveantur, vix morbus solvatur. Ad hunc finem medicamenta hujusmodi, non modo leniora, sed acriora, etiam, opem offerunt. Hæc autem penitus omittenda sunt, et nulla nisi blandiora aut lubricantia adhiberi debent. Hujus generis sales medii attentionem sibi vindicant, et his fortasse oleum ricini longius præstat. Hoc enim intestina oblinit, et vi satis magna pollet, et alvum plenius solvere, ideoque dolores consopire. Enemata tantùm opem ferunt in alvum solvendo, et non, nisi inflammatio abeat, unquam administranda sunt; quippe partibus circa anum inflammatis dolores augeant, nec raro protinus rejiciantur sine fructu. Hinc plus mali quam boni inducunt, et nisi ab initio morbi, aut in chronico ejus statu, haud aliquid commodi afferunt. Pro his

duo aut tria opii puri grana in anum manu emmittere, magis juvat, et hoc auxilium ægri maximis tollunt laudibus.

Post alvum plene evacuatam, haustum anodynum, aut balneum calidum adhibere oportet; vel, si hoc ægrum perturbat, pediluvium, aut fotus abdomini applicatas. Nonnunquam vero vesicæ aqua calida impletæ dolores intestinorum mitigant, abdomini impositæ. Porro ad idem consilium conferunt, quæ sudorem eliciant. Hujusmodi remediis nihil est melius; quippe quæ halitum cutis copiosum promoveant, sanguinemque extrorsum derivando ejusdem circuitum reddant magis æquabilem. Cui usui inserviunt pulvis ipecacuanhæ et opii, vel tartris antimonii et potassæ, in parvis dosibus. Interia medicum, qualem potum æger bibat, ante inspicere decet. Frigidas aut acidulosas potiones plus quam serpentem abhorreat: quippe quæ sæpius dolores ac dejiciendi cupiditatem pariter augeant. Demulcentia tepida potius assumat, quæ intestina optime oblinunt, acoremque diruunt: inter alia prosunt decocta hordei, aut seminum lini, cum gummi mimosa nilotica. Ex horum usu, maxime mitescunt dolores.

II. Pyrexiam tollere vix penes medicum est; sed ad eandem minuendam multa juvant. Hæc quidem varias induit formas, sed de singulis dicere mihi non mens est. Hujus curatione præstantissimum auxilium est sanguinis detractio: quæ non modo febrem sistit, sed quoque immanes dolores levat. Hujus usui multi obviam eunt, atque contendunt, omnem in dysenteria sanguinis jacturam esse nocituram; sed experientia, quam theoria melius docet, insigni cum beneficio sæpissime adhibitam esse. Huic sententiæ olim consensit SYDENHAMUS, aliique hodierni maximi nominis.

Huc accedit submurias hydrargyri, qui quocunque in modo agat, tale levamen sæpe adfert, ut nihil magis. Hanc rem omnes testantur, qui in calidis regionibus artem medicam faciunt, non modo in hoc morbo, sed etiam in hepatitide acuta. Parum prodest nisi salivam cieat. Ideoque magnis in dosibus adhiberi debet; cum opio conjunctus, mirum in modum sedat inflammationem.

III. Ad tertium consilium exsequendum, nempe corporis vires sustinendi, ex diversis signis pendebit ratio; febre urgente, caro aut solidus cibus

prorsus negatur; et ex jusculo bovino, gelatina, aliisque ejusdem generis, quæ concoctu sunt plane facillima, victum oportet constare.

Morbo autem decedente, ubi dejectiones naturaliter, et boni coloris se ostendunt, decoctum cinchonæ officinalis, quassiæ infusum, vel pulvis colombæ, ventriculum roborare inserviunt; neque carnis usum petere ægrum citius oportet. Namque hac nimis subito adhibita, vi majore haud semel rediit morbus. Maxima in debilitate, vinum rubrum tepidum, ubi cum aqua et aromatibus miscetur, et corporis et animi vires restaurat.

Denique convalescens ne in morbum relabatur, frigus cum humiditate præcaveat, et indusium laneum induat; neque liquoris meraci usui indulgeat, aut cibum difficilis concoctionis unquam sumat; sed convenienter naturæ semper vivat, diæta tenui, sed satis nutrienti, atque non, nisi robustus, ad pristinas consuetudines redeat. Hoc ex ægri cura, quam medici peritia, magis pendebit.

FINIS.